TESTIMONIA, DOCTORUM DE DITMARO

* *
*

PAVLVS LANGIVS CHRONICI CITICENSIS. pag. 770.

Anno Domini 1018. Dithmarus Merseburgensis Ecclesiæ Episcopus quartus, genere & moribus clarissimus, & præclarus Historiographus, filius Sifridi Comitis, obiit: cui Bruno successit, quovis honore dignus.

GERHARDVS IOHANNES VOSSIVS LIB. III. DE HISTORICIS LAT. CAP. V.

DIETHMARVS sive Ditmarus, Sigefridi Saxonici Comitis filius, primum monachus fuit cœnobii S. Iohannis Magdeburgi, sub Rigdago Abbate; hinc Præpositus VVallibicensis, ac tandem Mersburgensis in Misnia Episcopus, Chronicorum libros VII. reliquit, quibus complectitur gesta quinque Imperatorum, HENRICI I. OTTONIS I. II. III. & HENRICI II cuius temporibus vixit. Meminit & Paullus Langius pene initio Chronici Citizensis: ac sæpius in sua Saxonia memorat Georgius Fabricius. Sincerissimum scriptorem appellat Possevinus. Opus vero Chronicorum scribere orsus fuit anno Christi CIↃ XVII. ætatis suæ XLI. Episcopatus X, anno uno ante obitum. Quemadmodum cognoscere ex eo est, qui, paullo post Ditmari excessum vitam illius literis commisit.

ANDREAS BRVNNERVS lib. 9. Annal. Boicorum, pag. 677. part. 2.

Comitiis Ratisborensibus anno 1009. Ditmarus interfuit, ille ipse, cuius fidelissimis lucubrationibus in hac rudis ævi caligine, velut face, utimur; cui hanc Boica de se optime merito vicem lubens reddiderit, ut summos in ea honores consequeretur, quando hoc anno Neoburgi ad Danubium, Henrico rege præsente, Tagmone Magdeburgio, & V. Episcopis inaugurantibus, Merseburgensis Pontifex salutatus est. Et pag. 739: *Deficit pariter hoc anno 1018. Ditmari Merseburgensis Episcopi Chronicon, unicus huius ævi thesaurus, quem vel Henrici Cæsaris causa cuius XVI. actos in regno annos summa fide complectitur, iam olim par fuerat erui è tenebris, ne tam diu optimi fortissimique Principis res una sepultæ delitescerent.*

FAMILIÆ

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 1, [20] - -
PUBLIC DOMAIN